HISTOIRE ANONYME DE LA PREMIÈRE CROISADE. Ed. L. BRÉHIER. PARIS 1904, p. 200, 202, 204, 206.

[38.] Tunc seniores nostri ordinaverunt quomodo ingeniare possent civitatem, ut ad adorandum nostri Salvatoris intrarent Sepulcrum, feceruntque duo lignea castra et alia plura machinamenta[1]. Dux Godefridus suum fecit castrum cum machinis et Raimundus[a] comes[b] similiter, quibus[c] de longinquis terris attrahebant[d] ligna[2]. Saraceni igitur[e], videntes nostros facientes has machinas, mirabiliter muniebant[f] civitatem et turres nocte accrescebant.

Videntes autem nostri seniores ex qua parte esset civitas magis languida, illuc in quadam nocte sabbati[g 3] deportaverunt nostram machinam et ligneum castrum in orientalem partem[4]. Summo autem diluculo erexerunt ea[h] et aptaverunt et ornaverunt castrum in I^ma^ et II^a^ et III^a^ feria[5]. Comes[i] namque S[ancti] Egidii a meridiana plaga reficiebat suam machinam. Interea in tanta pressura sitis fuimus districti[k], ut unus homo non posset pro uno denario[6] ad sufficenciam habere aquam aut exstinguere sitim suam.

Nocte vero ac die, in IV^a^ et V^a^ feria[7], mirabiliter[l] aggredimur civitatem[m] ex omni parte[n]; sed, antequam invaderemus eam, ordinaverunt episcopi et sacerdotes, predicando et commonendo omnes, ut processionem

Deo in circuitu Hierusalem celebrarent et orationes atque elemosinas[a] et jejunia fideliter facerent[1].

Sexta vero feria[2], summo mane, undique aggredimur urbem et nichil ei nocere potuimus; eramusque omnes stupefacti ac in nimio pavore. Appropinquante autem hora, scilicet in qua Dominus noster Ihesus Christus dignatus est pro nobis sufferre patibulum crucis[3], nostri milites fortiter pugnabant in castello[4], videlicet dux Godefridus et comes Eustachius, frater ejus. Tunc ascendit quidam miles ex nostris, Letholdus[b 5] nomine, super murum urbis. Mox vero, ut ascendit, omnes defensores civitatis fugerunt per muros et per civitatem nostrique subsecuti persequebantur eos occidendo et detruncando usque ad templum Salomonis[6] ibique talis occisio fuit, ut nostri in sanguine illorum pedes usque ad cavillas mitterent[7].

At Raimundus comes a meridie conduxit suum exercitum et castellum[c] usque prope murum. Sed inter castellum et murum erat quedam fovea[d]; feceruntque pre-

conari ut, si quis[a] in illam foveam portasset III petras[b], unum haberet denarium. Perduravit hec impletio per III dies et noctes[1]; tandem, plena fovea, conduxerunt castellum juxta murum. Illi autem qui intus erant mirabiliter preliabantur cum nostris igne[2] et lapidibus. Audiens itaque comes quod Franci essent in urbe[c], suis dixit hominibus : « Quid tardatis? Ecce omnes Francigene sunt jam in urbe[3]. »

Ammiralius itaque qui erat in Turri David[4] reddidit se comiti eique aperuit portam ubi peregrini persolvere solebant tributa[5]. Intrantes autem civitatem, nostri peregrini persequebantur et occidebant Saracenos usque ad templum Salomonis, in quo congregati dederunt nostris maximum bellum per totum diem, ita ut sanguis illorum[d] per totum templum flueret[6]. Tandem, superatis paganis, apprehenderunt nostri masculos et feminas sat in templo et occiderunt quos voluerunt et quos voluerunt retinuerunt vivos. Super vero templum[e] Salomonis[7] erat maxima paganorum congregatio utriusque sexus quibus Tancredus et Gaston de Beert[f 8] dederunt sua vexilla[9]. Mox cucurrerunt per universam urbem, capientes aurum et argentum, equos et mulos domosque plenas omnibus bonis.

Venerunt autem nostri gaudentes[a] et pre nimio gaudio plorantes ad nostri Salvatoris Ihesu sepulchrum adorandum[1] et reddiderunt ei capitale debitum[b 2]. Mane autem facto[3], ascenderunt nostri caute supra tectum templi et invaserunt Saracenos masculos et feminas, decollantes eos nudis ensibus; alii vero dabant se precipites e templo[c]. Hoc videns Tancredus iratus est nimis.